





38731b  
1923, 25  
28  
M

DECANVS  
*FACVLTATIS JVRIDICÆ*  
ALMÆ ET PERANTIQVÆ ELECTORALIS VNIVERSI-  
TATIS ERFORDIENSIS  
**ERNESTVS TENZELL,**  
JCTVS,

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-  
RIVS REGIMINIS, JVDICII PROVINCIALIS ERFORDIENSIS ASSESSOR, AC  
DICTÆ CIVITATIS CONSVL PRIMARIUS,

**PRÆVIA**  
AD ACTVS SOLENNES  
LECTIONEM NEMPE CVRSORIAM *Ad L. 54. ff. de*  
*Contrah. Emt.*

ET  
DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM  
**DE VENDITIONE INVITA**  
PRÆDIORVM SVBDITORVM &c. (1)  
INVITATIONE

A NOBILISSIMO ET CLARISSIMO  
DOMINO  
**JO. CHRISTOPHORO SCHNEIDER,**

*Gorl. Lusat.*

Sup. Lusat. Adv. Prov. Ord.


DIE XII. OCTOBR. ANNO M DCC XXIII.  
IN AUDITORIO JCTORVM MAJORI

HABENDAS.

OCCASIONE LEGIS IN LECTIOINE CVRSORIA EXPLICANDÆ  
**DE LÆSIONE IN CONTRACTIBVS**  
DISSERIT.

---

ERFORDIÆ,  
TYPIS GROSCHIANIS, Acad. Typogr.



L. B. S.



Vod GROTIUS de J. B. & P. Lib.  
1. cap. 1. n. 3. notat, justum esse,  
quod non est injustum; illud ante  
ipsum CICERO l. 1. de Off. c. 99.  
tradidit, dum *Justitia* inquit, par-  
tes sunt, non violare homines, & cap.  
31. ib. Fundamentum *Justitiae* pri-  
mum, ne cui noceatur: deinde com-  
muni utilitati serviatur. Quare vero *Justitiam* negan-  
te potius sensu, quam ajente definiendam putaverint,  
non satis constare videtur. Aliter enim in §. 3. J. de  
*Just.* & *Jur.* (ubi præcepta *Juris Naturæ* duo sensu a-  
jente, unum sensu negante tradita,) *Imper.* JVSTIN.  
sentire, patet. Et quamvis ista tria præcepta ita con-  
parata sint, ut quodlibet omnia tria in se comprehen-  
dat, tamen separatim respectu diversi *Justitiae* officii,  
considerari merentur. Inde fortè in sensu negante  
melius

melius officium Justitiae, nobis patescit, dum scilicet  
ex laſione, offensio Juris Naturae apertius sensibus  
percipitur. Nec tamen imbecillitas humana, & sic  
laſiones prohibendo, satis quæ Juſta ſint five gene-  
raliter inter homines, five ſpecialiter inter Christianos,  
definire permittit. Multo minus dictamen re-  
& rationis, uti nonnullis viſum, ad terminos boni  
& æqui in applicatione, ſatis definierdos, erit ſuffi-  
ciens. Cum experientia teſte, & ſapientiſſimi af-  
fectuum decipientur, vel etiam præter, imo ſæpè  
contrà intentionem, indulgentia. Hinc Legibus, ut  
vocantur positivis omnino opus fuit. Quæ tamen  
mirum in modum, præſertim ſi Leges Romanas  
reſpicias, legum Naturalium involucris circumfe-  
ptæ, ac vefitæ apparent. Imo quandoque ita inter  
ſe confuſæ, ac commixtæ ſunt, ut has ab illis diſcer-  
nere, res ſummi, ac desperati ferè laboris, doctiſſi-  
mis quoque viris viſa fuerit, notante Celeberrimo  
BVDEO in *Hijſtor. Juris Natur. §. 5.* Et certè licet  
alterum lădere tam juris Naturæ, quam Civilis præ-  
cepta prohibeant, nihilo minus tamen, in jure, quod  
liceat contrahentibus naturaliter ſe circumvenire,  
dicitur. vid. l. 22. §. f. ff. loc. cond. l. 16. §. 4. ff. de minor.  
Unde hoc? certè partim ex utilitate publica, quæ  
præferri debet utilitati privatorum, cum libertas com-  
merciorum, quæ anima dicitur Reipublicæ, latitu-  
dinem quandam pretii admittere, neceſſario requiſi-  
verit, cum in contraſtu v. g. emtionis venditionis,  
ſolertia tam emtoris, quam venditoris ſit laudanda,  
quorum ille viſiori prelio emendi, hic vero cariori

pretio distrahendi animo ac voto, accedunt, l. 8. C. de  
refc. vend. partim ex imbecillitate humana, quæ ex-  
actam aliquam, & mathematicam circa rerum pre-  
tia æqualitatem, scrutari cognoscere, & servare, non  
permittit. vid. CAROL. MOLINÆVS tr. de Commerc.  
n. 172. quam solertiam quidam dolum bonum appell-  
ant, ita ut ad circumvenire non pro defraudationis  
autoramento, sed pro negotiatoria solertia sit acci-  
piendum. Vigilantibus quippe hæc jura scripta. Ne  
tamen ea tolerantia nimis & intolerabiliter evagere-  
tur. Impp. DIOCLETIANVS & MAXIMILIANVS  
eam coarctarunt, in l. 2. C. de refc. vend. ut non liceat  
ultrà dimidium se circumvenire, ita ut ratione ex-  
cessus, enormis læsionis querelam introduixerint.  
De cuius querelæ justitia dubitat quidem CAROL.  
MOLIN. d. l. & eam Tyrannicam vocat, sed abs-  
que justâ ratione. Nec enim nimia debet esse licen-  
tia, qua utuntur negotiantes; Approbat autem il-  
lam inæqualitatem etiam Jus Canonicum, in cap. 3.  
& 6. X. de emt. & vend. Quamvis terminus toleratae  
læsionis videatur mere positivus & arbitrarius, cuius  
ratio adæquata dari vix potest, vid. BACHOV. ad  
WES. Tit. de refind. vend. lit. a. et si eam penetrare  
voluerit HAHN. ad WESENB. d. t. n. 6. successu ta-  
men minus felici. Eum etiam mutatum esse J. Wür-  
tembergico, (ita ut ibidem inæqualitas, seu læsio ne-  
gotiativa usque ad tertiam tantum partem justi pre-  
tii permittatur) notat LAVTERB. Coll. Tœcor. Pr. ad  
Lib 18. ff. Tit. V. th. 9. Atque hanc querelam Enor-  
mis læsionis introductam deinum esse in l. 2. C. de  
refc.

rescind. vend. res ipsa loquitur, v. PINELL. ad d. L  
2. C. de resc. vend. Utut enim, istam etiam veteribus Jctis jam cognitam fuisse, contendant non pauci Jcti, vid. TVLD. in Cod. b. t. n. 4. RICHT.  
p. 2. Dec. 99. n. 13. seqq. quod colligere satagunt ex textibus ff. & Cod. permultis, sed omnino frustra. Ad illos textus singulos respondet BACHOV. ad WES.  
Vol. 2. Disp. 2. ib. 9. lit. b. Cui adstipulatur LAVTERB.  
Coll. ad Tit. de resc. vend. ib. 6. Sed superfedere possumus ista responsione. Nec ulla enim istarum legum, de tolerantia læsionis usque ad dimidium, vel verbum habet, ut adeò mirum sit tanti Nominis Jctos, in istum errorem incidisse, ut Querelam istam ante Constitutionem Impp. allegatam, jam in usu fuisse, crederent. Illud quidem, etiam alias causas in jure, ex quibus contractus tam bonæ fidei, quam stricti juris rescindendi possint, occurrere, præfertim vero causam dolii, extra dubitationis aleam positum est. Circumventio enim dolosa, quæ quandoque venit ex dolosa dissimulatione, l. 35. §. f. l. 43.  
§. f. l. 57. §. 1. & 2. ff. de contrah. emt. ex falsâ persuasione, subjecti corruptione, l. 7. §. 3. ff. de dol. mal. cùjuscunque sit quantitatis, etiam jure Civili reprobatur, & certis juris remedii impugnatur. l. 13. §. 4. & 5.  
ff. de act. emt. vend. l. 43. §. f. ff. de Contrah. emt. Ex quibus vero simul, vix dolum in genere, qui quacunque scientia alterum lædit, hic sufficere, appareat; cum solertia illa in jure approbata sit; sed dolus in specie, quo aliud agitur, aliud simulatur, alterius decipiendi gratia, vid. l. 3. §. 2. l. 7. §. 9. de pac. requiri videtur.

Notabile præterea est, quod in *L. Res bona fide s4 ff.*  
*de Contrah. emt.* de læsione minima, in emtione toleranda, traditur. Unde an de læsione majoris momenti, aliter statuendum, & an argumentum à contrario sensu duci possit? merito hic in dubium vocatur.  
Exponet istam Legem

*Nobiliss. & Clarissimus*  
DOMINVS  
**JOANNES CHRISTOPHORVS  
SCHNEIDER,**

Qui anno 1698. die Septembr. Gorlicii in Lusat. sup.  
natus, Parentibus, Patre beatæ memoriae Dn. CHRISTOPHORO SCHNEIDERO, Cive spectabili, &  
Matre ANNA SOPHIA, nata KÖSLERIN. His  
sui Parentes, ab ineunte statim ætate eum mancipaverunt Studiis, & ut solidiori instrueretur eruditione  
tam privatum quam publice Scholas frequentare iussus est, ubi imprimis in Augusto Gymnasio ibidem  
florente, Præceptoribus M. SAMVELE GROSSERO,  
*Direc<sup>t</sup>ore celeberrimo*, Dn. HAVFFIO. *Pro-R.* ut & M.  
HAMANNO, *Con-Rectore*, & Dn. HEINCKIO, *Sub-Rectore*, (qui duo ultimi jamjam mortui sunt,) hu-  
manioribus literis imbutus fuit, ut commoratus ibi-  
dem novem annis, ad altiora Studia se contulerit, &  
celeberrimam Academiam Halensem profectus sit.  
In hac Academia in numerum Civium Academicorum  
benevole receptus, tam Philosophia & Mathe-  
eos, auspiciis Dn. CHRISTIANI WOLFFII, *Consil.*  
*Boruss.*

Boruss. Aul. & Profess. ibidem celeberr. quam Juris civiliſ & canonici, Viri illuſtris JVST. HENNINGII  
BÖHMERI, Reg. Boruss. & Elect. Brandeb. Consil. int.  
Prof. Jur. Ord. celeb. & Dn. JOH. FRIDEM. SCHNEIDERI,  
Reg. Bor. & Elect. Brandeb. Consil. Aul. & Prof.  
Extraord. celeb. ut & Juris publici & feudalii, Viri il-  
luſtr. NICOL. HIERON. GVNDLINGII, Reg. Bor.  
& Elect. Brandeb. Consil. intim. & Prof. Jur. Ord. celeb.  
Præceptoribus & Patronis suis omni tempore suspi-  
ciendis maxime, studio dedit operam. Finitis ibi-  
dem laudabiliter duobus annis, Lipſiam, florentissi-  
mam illam Universitatem Praxin theoreticis studiis  
conjugendi gratia adiit, & Consultiss. Dn. D. SCHA-  
CHERI, jam beate mortui, & D. KESTNERI, fau-  
toris & Amici sui singularis Collegia practica fre-  
quentavit, suumque animum quibuscumque scientiis  
ac doctrinis replevit, ut deinceps Domum reversus  
maxima cum laude haustas doctrinas in succum &  
sanguinem, ut dicitur, convertere potuerit. Siqui-  
dem enim, non ſolum in patria tua Lufatia superiori  
munus Advocati Provincialis ordinarii jurati quod  
habet, ornat, & partibus tam consulendo quam patro-  
cinando maxima approbatione adefit, fed & jamjam  
perantiquam nostram Geranam ad Lauream Docto-  
ralem reportandam acceſſit. Quod Desiderium Col-  
legio noſtro modeſte aperuit, itaque conſueto more  
ad Profectus ipſius in Jure explorandos, per omnia  
quaे Candidatis Jurium ſuſtinenta ſunt ſpecimina, ten-  
tavimus, & approbatu digna facultati noſtræ viſa ſunt  
eius ſtudia, ita ut facile potuerimus colligere ipſum

in Jure acquisivisse scientiam haud vulgarem, & ex Academiis, & Collegiis magno cum Successu frequentatis, laudem diligentis omnino Studiosi reportasse. Hinc merito dignum gradu Doctorali judicavimus. Restant autem antea adhuc publica edenda specimina, Lectio nimirum cursoria, & Dissertatio Inauguralis; quæ publicare d. 12. Octobr. paratus est. Quo autem Magnif. Dn, Rector, Domini Professores omnium Ordinum Excellentissimi, Studiorum fautores, Patroni, ac Cives, his actibus solennibus frequenter interesse, ac hi ultimi, dignum imitatione exemplum capere velint, decenter rogo atque eos invito. Publicatum sub Sigillo Facult. Jurid. Dom. XX. post Trinit. A. 1723.



L.S.

Erfurt, Diss., 1723

X 2386946

ULB Halle  
007 436 556

3





**Farbkarte #13**



B.I.G.

3873th

1923, 25

28

DECANVS  
FACVLTATIS JVRIDICÆ  
ALMÆ ET PERANTIQVÆ ELECTORALIS VNIVERSI-  
TATIS ERFORDIENSIS  
**ERNESTVS TENZELL,**  
JCTVS,

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-  
RIVS REGIMINIS, JUDICII PROVINCIALIS ERFORDIENSIS ASSESSOR, AC  
DICTÆ CIVITATIS CONSVL PRIMARIVS,

PRÆVIA

AD ACTVS SOLENNES

LECTIONEM NEMPE CVRSORIAM *Ad L. 54. ff. de  
Contrab. Emt.*

ET  
DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM  
**DE VENDITIONE INVITA  
PRAEDIORVM SVBDITORVM &c.**

INVITATIONE  
A NOBILISSIMO ET CLARISSIMO  
DOMINO

**JO. CHRISTOPHORO SCHNEIDER,**

*Gorl. Lufat.*

Sup. Lufat. Adv. Prov. Ord.

DIE XII. OCTOBR. ANNO M DCC XXIII.  
IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI

HABENDAS.

OCCASIONE LEGIS IN LECTIO CVRSORIA EXPLICANDÆ  
**DE LÆSIONE IN CONTRACTIBVS**

DISSERIT.

ERFORDIÆ,  
TYPIS GROSCHIANIS, Acad. Typogr.